

† Fr. Matthias (Simon Forner) (1886-1945)

(*Prov. S. Pauli*)



Fr. Matthias, frater germanus R. P. Martini Forner, apostoli leprosorum († 1936), piis, sed pauperibus parentibus natus est die 3 Aprilis 1886 in Bavaria. Facta professione religiosa obtinuit permissionem in Brasiliam proficiscendi. Artem sutoris optime didicerat, sed propter magnam aptitudinem pro officiis ianitoris et nosocomi his muneribus per vitam totam occupatus est. Fiduciam in se positam non fefellit. Summa cum satisfactione inservivit in conventu Penhensi, ubi quasi per totam diem parochiani et peregrini confluent ad

sanctuarium Miraculosae Virginis. Non minus confratres infirmos diu noctuque patientia et caritate sua consolabatur, commiserando in ipsorum angustiis et doloribus.

Ultimis annis vitae aegrotare coepit debilitate stomachi, quae paulatim in dolores cruciantes ulceris cancerosi degeneravit. Nequivit interventio chirurgica mederi huic malo. Fr. Matthias, dolorum imago factus, invicta patientia hoc purgatorium ut verus Crucifixi discipulus aequo animo usque ad horam supremam pertulit.

Beata Virgo proculdubio ianitori generoso sui sanctuarii Penhensis ianuam coeli aperuit. Ultima die mensis S. Ioseph anni 1943, Ecclesiae sacramentis refectus, ad aeterna gaudia evolavit. R. I. P.

G. A. HECKENBLAICHNER